

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 219

**Auteur(s) :** Seberga [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Chartres, Saint-Père (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1100-1135]

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Une certaine Seberga et ses fils concèdent à Saint-Père de Chartres le quart d'un moulin sis à Armentières[-sur-Avre].

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 2, p. 536-538.

### Indications

Bauduin Pierre, *La première Normandie (Xe-XIe siècles). Sur les frontières de la haute Normandie*, identité et construction d'une principauté, Caen, Presses universitaires de Caen (Bibliothèque du Pôle universitaire normand), 2004, p. 242.

Texte établi d'après a

... Nos igitur monachi sancti Petri Carnotensis, nostris notificamus his litteris successoribus, qualiter molendinum de stagno de Ermenteriis habemus, qualiterque illud fecimus. Quedam itaque femina Seberga, et filii ejus Rogerius, Amalguinus, Goslinus, et gener ejusdem mulieris Drogo, nobis medietatem partis sue, quam in eodem molendino possidebant, dederunt. Dimidium enim illud molendinum indominicum habebant, et aliam medietatem quidam Herbertus et alius Teardus ab eis tenebant. Sic itaque sue medietatis medietatem, quartam videlicet partem molendini, nobis concesserunt ; eam vero medietatem, quam illi duo quos diximus habebant, quietam haberemus, si eam quoquomodo acquirere possemus : hoc enim modo tunc totum molendinum fecimus de nostro. Ex tunc vero in molis quartum denarium mitterent, quoniam ipsi quartam partem annone sibi retinent. Debemus etiam molendinum omni tempore custodire, ne quolibet modo disperdatur. Quod, si vel igne vel aliquo modo contigerit illud disperdi, nos debemus de nostro reficere ; nisi eorum forte culpa compertum fuerit evenisse : ipsi enim, si propter eos vel combustum vel aliquid in eo etiam partim fuerit distractum, totum de suo restituent. Hec autem ad nos ideo custodia pertinet, quoniam molendinarii sumus, vel molendinagium nos, vel cui illud tribuimus, habemus ; hoc autem, quoquomodo faciamus, absque eis et absque eorum consilio facere possumus. Si autem quem nos mittemus molendinarius forisfecerit, ad nostram voluntatem rectitudinem capiemus, quartam vero partem eis reddemus. Hoc autem concesserunt predicta Seberga et filii ejus, ut diximus. Unde etiam eorum prior natus, quia cum matre juravit, habuit III solidos ; et mater panem de domo monachorum, et quedam filia ejus, donec molendinum perficeretur ; Goslinus vero, alius filius ejus, II solidos apud Valpilon, ante Willelmum, videntibus Girardo, nepote ejusdem Willelmi, et Josco, homine ejusdem Willelmi, et aliis pluribus. Amalguinus apud Bruerolas in carcere tenebatur :

nos vero de LII sol. redemimus eum, et illam quartam partem quam, cum matre et fratribus suis, habebat, nobis usque ad X annos in vadimonio cum eis concessit, per singulos annos V reddendo solidos. Ubi autem omnes isti fratres cum matre hoc concesserunt et juraverunt, affuerunt : Girardus Malcoreet ; Fulco, filius Alberede ; Rogerius Comes ; Mainardus, filius Legardis ; Galterius Moletus, Gaufridus Aper, Landricus Eliant ; Hubertus, filius Amalguini ; Forretus ; Fulco, filius Foberti ; Odo de Clibano. Postea vero, postquam factum fuit molendinum, hec omnia, sicut facta fuerant, recognoverunt apud Firmitatem castrum, et se semper servaturos, sicut juraverant, promiserunt ; nos autem eosdem LII solidos eis ibidem condonavimus. Affuerunt ad hoc : Paganus de Cros, Gauterius de Mesnilibus ; Landricus, filius Theduini ; Garinus, et Durandus, filius ejus ; Odo, filius Symonis ; Fulco, filius Hoeline ; Vitalis de Ponte, Ernulfus Brito.

Voluimus etiam, quoniam non est inutile, concessionem dominorum, a quibus isti tenebant predictum molendinum, huic eidem cartule annotari. Concessit igitur hanc donationem, in capitulo nostro, Hugo, filius Gaufridi de Nuilleio, et Willelmus, frater ejus, et Gaco Burgunnus, avunculi istorum a quibus illi tenebant. Qui etiam inde habuerunt inter se XXX solidos, videntibus Gaufrido Rufo, Hugone de VII Fontibus, Roberto Stimulo ; Willelmo, filio ejus ; Teardo de Reconvillari. Concessit etiam hanc donationem Garinus de Regimalastro, et habuit inde V solidos ; et Gacho filius ejus, et habuit inde fustannium, ante Willelmum de Pertico, videntibus Hugone, filio Baldrici ; Roberto de Mori Villari, Hemardo de Resuntis, Pagano de Landa. Consensit etiam huic donationi Gislebertus de Teuleriis et Laurentia, uxor ejus, a quo iste tenebat, videntibus Odone Borleto, nepote ejus ; Willelmo de Curtellis, Gisleberto de Lomis. Hugo etiam de Castro Novo concessit, et rex Anglorum, ejusdem rogatu, apud Argenteum, audiente Radulfo de Wito. Quidam autem Fulco de Nongento, quoniam ipse quandam sororem prefati Gaufridi de Nuilleio matrimonio duxerat, et fevum illud ubi molendinum istud erat, cum eadem uxore sibi datum, susceperat, voluit calumpniari. Qui tandem, cum filia sua Avicia, concessit hoc modo : ut, singulis annis, in festum sancti Christofori, ipse cum aliis, Hugone videlicet predicto et avunculis ejus, XII denarios census haberent. Affuerunt ad hoc : Paganus de Faveriis, Garinus Flocellus, Odo de Archipena, Odo Villanus ; Odo, filius Foberti ; Herbertus de Roheria, Girardus presbiter, Vitalis de Ponte ; Fulco, filius Fulberti ; Theardus de Chemino ; Droardus, filius Mascelini ; Menardus, filius Legardis ; Hubertus et Aubertus, filii Amalguini. Garinus etiam, filius Ricardi, quoniam quedam in aqua calumpniabatur, concessit ; unde XX solidos habuit et vaccam unam.